

¶ Corollarium.

Inde quoque manifestum fit, quod maxima erit diuersitas annuarum magnitudinum datis duabus aeris quarum unius tempore caput cancri eclipticæ nonæ sphaeræ constituitur in sui paruique circuli septentrionali contactu, alterius autem aeræ tempore idem cancri caput collocatur in contactu eclipticæ nonæ sphaeræ paruique circuli meridionali, Nulla denique erit diuersitas annuarum magnitudinum, eodem capite cancri in utrisque aeris circa eundem parui circuli punctum constituto.

PROPOSITIO XXXIII.

Pro datis duabus aeris annuarum magnitudinum differentiam succinctius numerare, quam iuxta præceptionem in propositione xxxiii, traditam. Huius itaque propositi causa præcedenti canonis postremo adiicitur quædam numerorum series tribus distincta columnis cuius inscriptio est, Diuersitates annuarum magnitudinum in minutis horariis, Cum datis igitur duabus aeris pro quibus annuarum magnitudinum differentiam datam velimus efficere, ex dictorum serie numerorum duos eliciamus numeros, qui velut frontalis inscriptio admonet consistunt in secundis tertiis & quartis unius horæ, horum deinde numerorum sumpta differentia indicat quanto temporis momento prioris aeræ magnitudo annua superat annuam magnitudinem posterioris aeræ si pro antiquiore seu priore aera compertus numerus minor extiterit posterioris aeræ numero, vel e contra dicta numerorum differentia indicat quanto temporis momento posterioris aeræ annua magnitudo superat annuam prioris aeræ magnitudinem, si eiusdem aeræ posterioris elicitus numerus numero pro priore aera extracto inferior existat, Velut propositum sit pro annis domini 140, & 1520, annuarum magnitudinum differentiam datam efficere, facto itaque introitu cum annis domini 140, in præcedentem canonem eliciuntur, s. ii, ter, lviii, unius horæ, Deinde cum annis domini 1520, ex eodem canone depromuntur minuta secunda ii, tertia xix, quarta xlviii, unius horæ, horum itaque numerorum sumpta differentia existit minorum tertiorum xxxviii, quatorum xii quibus annua magnitudo pro annis domini 1512, excedit annuam